

Trojano, cohortes aliquot armatura plena instructæ, breui spacio possint erumpere. Ostenduntur huic ca-
stro, vicina, & circumiacentia loca pulcherrima paradromis equestris, stadium, sphæristerium, & alia septa, in
quibus iuuentus nobilis solet exercitari; Item horti excultissimi, vbi visuntur paradysi, labyrinthi, & Nym-
pharum diuersa facella fontibus artificiosis irrigua, quorum scaturigines multas, varijs in locis abundè suppe-
ditant torrentes è vicinis montibus per subterraneos tubulos ducti. Placent ibidem hypetræ, & subdiales ce-
nationes topiarijs pulcherrimis vestitæ, & imprimis illa rotunda, ad radicem vici montis, in cuius medio mæ-
sam acernam rotundam simul cum conuiuis assidentibus aquaria rotæ sub cenatione laborantes, vel leniter,
vel raptim circumagere, & conuiuas, si ita placeret, vertigine inebriare poterant. Est ibi denique Liberi Pa-
tris sacrarium, vbi mysterijs initiari aduenæ solent: Spelæum est ingens in rupibus amplum & obscurum, in
quod pluribus saxo excisis gradibus descenditur. Mirantur peregrini capacissima vasa vinaria, & nobilissima
Bromij dei multiplicia dona haud grauatim libant, per quæ curâ fugit. Non prius tamen se sentiunt impedi-
tos, quàm cum regredi volunt. Tum intelligunt primùm Dithyrambi Dionysij numen, ac pedicas in obscu-
ro positas; cancellisque obseratis, exitum non inueniunt. Confestim præsto sunt sacrorum callentissimi hie-
rophantæ, cum scyphis decumanis ferè congialibus, quorum antistes ritualem profert codicem, & ex eo legit
Bromiam legem ab antiquo Germanis populis in hisce mysterijs solemnem.

Hospes aduena Liberi Patris adytum ne
prophanus egreditor, Tauricornis
dei iram ne prouocato, At eius sacris lubens initiator.
Meri optumi craterem ac ratophorum
haustu pollenti potenti polluceto. Initiatus
nomen tuum in Orgiastarum tabulis adscribito.

Hinc ducantur initiandi non ad aram Tauricam, sed ad mensam edulij & mattij sitim prouocanti-
bus plenam; vbi cum ingentem vnico tractu pateram euacuarint, iam initiati inter Orgiastas in codice ritua-
li mox adscribuntur.